Instructio pro PP. Missionarijs profecturis in China nunc per P. Procuratorem.

1° Sciant aeque ut alter alterum amet perfecta mirimaeque caritate, cum ubique locorum tum praecipue in Navigatione Oceani, ubi vel maxime missionarijs commendatur illud: Diligite alter utrum, quo evitantur taedia, profecto quandoque ex altercatione de rebus nullius momenti, quae amarum addunt animum fratris. Augmenti a amaritudine in nos saepe inducunt morbos, cum vitae periculo. Experientia docuit, in navigationibus longioribus melancholiam contraxisse inter nostros ob altercationem, offensiunculas, et similia, nos praestare pelagus subiti. Si quando, quod humanum est, occurrat motus irae aut verbo offendat, quod laedit post fratrem, sol non occidat super iracundiam; sit prompta et sollicita cum offenso reconciliatio. Ita nunquam sentient melancholiae illi et amaritudinem interiorem.

2do Semper loquantur honorifice de Natione Lusitanica, cui multum debemus omnes ob ingentem zelum propagandi sanctam fidem in Oriente, et quia liberalissima pietate multa ibi sancti fundavit Collegia, nec non copiosis eleemosynis iuvat atque sustentat nos Missionarios, et quamquam aliquid in illis partibus per quas transeunt, videant quaedam mores et consuetudines a sua Provincia aliena, non tamen damnent vel improbent. Quae bona semper laudent, et si quid displicet, dissimulent potius, quam ut publice traducant; et hoc pro bono pacis ac mutua inter nos caritate.

3° Nimia intentio et applicatio ad res spiritus plerumque officit valetudini in Navigatione Regni. Si multum in addiscenda sub [illegible] lingua Lusitanica, vel alia fatigent. Sufficit mediocriter doceri. Nec unquam desunt in Nave Regia Capellani, salario Regio conducti ad Confessiones excipiendas, et cui ex officio competit navigantibus Lusitanis in spiritualibus succurrere. Illud igitur quod fit a Patribus ex caritate, non sit fervor indiscretus et talis, ex agritudine et morti Missionarius prius subiiciatur, qui nobis sunt sanguine, et aspirata [illegible] ad bona maiora, ut est conversio innumerabilium gentilium, ex quibus etiam ea maneat. Dico hoc, quia experientia docuit, in similibus navigationibus quosdam e nostris Missionarijs nimio fervore, dum multa in se suscipiunt curas, et commiserationem dum totas horas diu noctuque in inferiori navis parte cum aegris versantur,

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL DE ÉVORA

sine debita discretione. Capellani interea qui à Rege constituti sunt otiosi sunt, manéque Missione destituuntur Operarijs, et multorum gentilium conversione. Hic aequi certem, sed ea sit ordinata et discreta.

4o. Abstineant se in mari à studijs quae multum fatigant caput, ut sunt compositio Concionum, et Sermonum, aut de rebus speculativis. Apud navigantes plus prosunt discursus de rebus doctrinae, et doctrina Christiana, quam compositae et in pulpito recitatae conciones. Moneo hoc, quia multa sunt quaedam subita in navigare, ob quod se applicuerint componendis concionibus, rogatu quorundam Lusitanorum ad componenda Panegyrica quam festa Sanctorum, sed Missio faciebat iacturam Missionariorum.

5to. Quando interdiu aer non pluit, non demorentur nimium in camera, sed captandi liberioris aurae gratia prodeant in forum navis, vel ad superiora Castelli puppis, considerando ad patens ubi non sit periculum cadendi in mare: quamquam tempore malaciae quanto fieri potest, non exponant se soli. Ordinarie sub ortum et occasum solis non omittant exire ex sua camera ad captandam liberam auram.

6to. In majoribus Navigijs Catholicorum, ut sunt Lusitani, celebrant Missae-Sacrum ubi sacerdotes erunt multi, non possunt celebrare quotidie singuli, nisi foret dies Paschae aut aliud festum principale, ubi occasio daretur adornandi plura altaria. Unde si eveniret ut ab aliquo amicorum vel devotorum offerentur in eleemosynam ornamenta necessaria ad celebrandum, accipiant, si quidem commode accidit in longis Navigationibus esse Lusitanorum apparatum, ut possint in portu conclavi commune aram ad peragendam eam divinam. Quamquam si sint multi, licet habeant altare proprium, non poterunt tamen celebrare plures quam duo circiter quotidie si mare fuerit quietum. Neque enim expedit in longis Navigationibus, neque commodum est toto matutino tempore occupatum esse cum Missis in eadem. Habeant patientiam, et hodie unus vel duo, cras alij duo, et sic in orbem legant suas Missas, et diebus festis ij qui non celebrant communicent: tum vero prodeant ad hauriendam recentem auram, et recitandas Horas Canonicas.

7o. Quod attinet ad victum, quoad tempus, qualitatem, et quantitatem ciborum, non potest dari regula generalis, quia varij sunt stomachi, vires, et complexiones hominum. Quilibet in hoc se gerat cum discretione et prudentia, habens semper respectum ad valetudinem et vires conservandas pro laboribus. Sed qui non manducat manducantem non spernat. Sed tamen hic velint illud, quod nonnulli in hoc negotio optimum expertissimi sunt, scilicet sanos ac robustos constanter in navigationibus esse longioribus, est hoc quod semper. Mane post

ÉVORA

lectum faciunt, aut post ortum solem, exceptis ferialibus abstr., faciunt collatiunculam: circa
meridiem prandent bene, ad vesperam, occiduo sole vel tardius faciunt alteram collatiunculam.
Ideo quae sumuntur in collatione sunt illa, quae magis faciunt ad suum stomachum. Nam norunt quibus rebus
sibi sit proficuum, accipiant cognitum illud, quod minus suae valetudini sit obfuturum. Et ideo in navi
nunquam deest, nec deesse debet copia optimi biscotti et vini; farinina, dulciaria, bella
ria varii generis, panis Lusitanicus, biscottelli omnis generis, caseus, uvae passae, amygdala, nuces,
fructus assiccari soliti etc. Haec omnia serviunt pro collatione, augendo sunt alia atque alia,
prout convenientius vel utilius videbitur. Saepe potest fieri collatio cum biscotto elixato probis decoctis
quod Lusitani Sordas vocant. In prandio meridiano abstineant se quantum fieri potest ab esu
ciborum salsorum in magna quantitate; libenter tamen aliquas accipient salsas, sed potissimus illorum cibus e
sit ex rebus non salitis, ut sunt offae ex leguminibus, carne, aut pisce exsiccati ad aerem vel fu
mum, gallinae, et ex iis iuscula, quae saltem quater hebdomadis bis debent apponi. Debebit notabili
provideri copia tam varii generis leguminum, quam gallinarum adultarum, non pullorum, qui facile mo
riuntur, carnium item, ac piscium exsiccatorum etc.

8. Noverint hic obiter annonae et discernendae et emendae et apparandae curam ac sollicitudi
nem Ulyssipone Goam, Goa Macaum, Macao usque ad ipsam Missionem Sinicam habituros esse
Patres Procuratores Sinarum, quorum unus moratur Ulyssipone, alius Goae, alius Macai. Quare Mis
sionarii qui venerint in Lusitaniam sine Procuratore, tantum habebunt quod sibi sufficiant pro
suo arbitrio ex Italia, vel ex loco unde discedunt usque dum perveniant Ulyssiponem, non ultra.
Qui autem discedit Genua, debet hoc agere cum consilio et directione R. P. Antonii Mariae
di Negro, expertissimi et quid conveniat solvere pro naulo, et quae sint necessaria subsidia pro ma
ri mediterraneo navigando comparanda.

9. Noverint sane, in navibus Lusitanis nihil fere esse solemnius, quam quod quidam populi,
vel nautae, vel milites aegri (quibus tamen omnibus quotidie ex dispensa regia tribuitur sua portio
aquae, vini, biscotti, carnium, piscium etc.) adeant nostros Patres ut ab ipsis expetant in eleemosynam
aquam, merendam, biscottum album sive durum si contingat, utantur illi petita dicta eleemosyna
a superiore, vel quicumque annonae curam habebit. Nam hac multi anni elapsi sunt, cum evenit

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL DE ÉVORA

ut nostri multis manibus et magna liberalitate in Esse dies gelina quaeque de his rebus poterant dederant, et postea in media navigatione laborarent magna subsidiorum penuria, ita ut multi aegrotarent, aliqui omnino morerentur.

10. Practica notent, quod gallinae assumptae pro subsidio maritimo in caveis obstrati et sua clave instructi magnam postulent attentionem, ne quis alteri clavem accommodet, magnam item munditiem, ne moriantur. quare necesse est, ut famuli magnam adhibeant solicitudinem. dies quasi annorum praefectus cuius est ut habeant ad manum aliquot gallinas et alias res ...las pro infirmis, casu quo aliquis ex nostris aegrotaret. Non male facient si possiderent de Syringa, quae iuxta linguam Lusitanicam servit pro a darar ajudas aos enfermos.

11. Circa vestium apparatum poterunt ea impetrare a Collegiis ex quibus discedunt, in bonum pauperrimae Missionis Sinicae, petent aliquot induta, seu nova, seu non nova, vestes superiores et inferiores ex panno novo vel quasi novo, cum thorace et tibialibus ex panno quidem. Qui navigant ex Italia Ulyssiponem, aut obtineant in eleemosynam aut emant aliquam mantelletam viatoriam cum sua cultura, nec non tegumentum ex lana, et unum vel alterum pari linteaminum pro casu aegritudinis, sed et eis opus est pro diuturnis navigantibus. Qui non perveniret Ulyssiponem sine dicto apparatu, antequam solvat in India, admoneat P. Procuratorem Missionis, ut sibi dictas res pro lecto procuret.

12. Caveant itaque RR. Missionarii, ne relinquant Goae vestem ex panno Europaeo, quas tulerunt secum, sed quantumvis necesse mutent Goae vestitum, quae ibi morantur, pro ratione summi caloris istic vestiant panni levissimi illius regionis, libenter ibi nihil obstante, ibique servare secum omnes vestes, aliasque res ex Europa allatas. Nam navigantibus Goa in Chinam poterunt ista esse usui, et in ipsa China magni fit pannus Europaeus, ibidemque non deerit illius usus. Moneo hoc, quia saepius accidit, ut Goae aliqui Missionarii id non apprehenderent, nec curam habuerint suam vestium ex Europa allatarum, et amiserint: post autem in altera navigatione, et in ipsa China nequicquam dixerunt magno debuisse habere eam curam, et secum portasse. Sic et aliquos poenituit vendere ac distribuisse in itinere, vel in Lusitania, vel Goae, vel Macai nostris vel saecularibus liberaliter quasdam res, aut sacras, aut alias,

gantes et curiosos, quas secum portaverunt: quibus poterat donari in ipsa Missione Christianos,
aut allicere ad professionem gentiles. Sed ibi nimium agnoscitur error.

13. Ut habeant porro notitiam aliquam Europaeorum, quae possunt usui esse in China, ne
supervacanea secum onerent, et ut sciant quid respondere debeant amicis ac devotis a quibus saepe
quaeritur per litteras missionariis offerre quod ferant ad Sinas, ibique dent in pretio, notentur haec: Sigilla
Domini Salvatoris, B. Virginis et Sanctorum tam impressa quam picta, sive in charta, sive in membrana.
Reliquiaria, Medallia, Cruces Caravacenses, omnis generis. Pulchra emblemata et Ethica.
Caelaturae profanae bellicae, ut hortorum et viridariorum, Geographicae, Urbium, Palatiorum,
pugnarum terrestrium ac navalium, Regionum. Effigies Regum illustrium, Mappae Geographicae,
et similia. Res ex vitro et crystallo cuiuscunque generis. Ex coralli vel ambra omnis generis.
Margaritae fictae. Variae armillae compositae ex gemmis falsis, aut ex vitro vel crystallo,
quibus utuntur mulieres ad ornatum. Specula item, vasoria, vasa confecta ex vitro, vel crystallo.
Conspicilla pro presbytis, iuvenibus varij coloris, sive ex vitro, sive ex crystallo. Tubi optici
in parvi et magni, specula ex vitro vel crystallo, parva et magna omnis generis. Tubi rarites
et curiositates ex vitro vel crystallo plurimi fiunt apud Sinenses. Capsulae, cultri, fusiunculae omnis
generis, magnae, tales, horaria horologia universalia. Astrolabia si offerantur in Ulisipone,
ne accipiant, sed nulla donant; nam hodie in China non est donum magni usus. Horologia horologiorum
rotatilium parvorum ex ferro et pro notibus in usum nostrum domesticum accipiant. Instrumenta Mathe-
matica omnis generis. Libri Mathematici Recentiores, maxime Astronomici, et quidquid novorum prodit,
praesertim in Astronomicis, et calculis Eclipsium: Missalia, Breviaria, Ritualia, Calices, pate-
nae, corporalia, pallae, stragulola, et alia linthea delicatiora in usum altaris. Denique quidquid
quod in Europa curiosi et novi invenitur est, quantumvis pretij exigui, pretij fiet apud Sinas.
Sciant omnes Missionarii, non esse prudentiae in usum Chinae lucri solum deservire, ut dona sciant, ad quae
libet missionarij debeat secum ferre, vel omnia, vel etiam aliqua donum. Satis est medium tantum, si sal-
tem noscat, quod vel pro solatio Christianorum, vel pro favore Gentilium Gubernatorum conciliando
dictum opportunum.

14. In urbe Goa ad multum spectant oculorum, quae secum portant. Caveant etiam ne multum
ex portant soli, ex plenum ibi est de rejeciis. Et fructibus Indicis comedant moderate. Non si multum

+

multum appellent compositionibus suis aut speculationi, ut si existunt nolunt per illud tempus, qui ibi commorantur optimo modo ventorum faventium navigare in Chinam, quando naves Mercatorum Macao solvunt.

15. Denique occurrit mihi commendandus ordo, ut si eleemosynis Europae acquisierint pecuniam Chinae paupertati gloriosae Missionis hujus, quilibet Missionarius (est facultas mendicandi) velint sive suam vel in viatici subsidium Ulyssipone usque, vel certe ubi de viatico aliunde sit provisum, in Missionis subsidium, hoc modo. Missionarii ex Italia venient in Lusitaniam, antequam Genua solvant, separent tantum pecuniae, quantum sufficit pro viatico Ulyssipone usque (ejus tantum libet viaticum, qui Genua navigaverit Ulyssiponem, accipiat a R. P. Antonio Maria di Negro, ejus et dicto Patri gratias refundat) residuum omnis pecuniae, quam habebunt, commutent Genuae cum litteris Cambialibus ad Mercatores Ulyssiponenses directis, si enim ferant secum pecuniam Ulyssiponem, patientur damnum notabile. In subscriptione hoc cambio utantur consilio ac directione dicti R. P. Ant. Mariae di Negro. Ubi Ulyssiponem pervenerint, priusquam solvant Goam, commutent omnem pecuniam suam con pezzi da otto, quas Lusitani Pataca di Saragoça vocant, quae tantum fuerint justi ponderis, et numeratim quae in Indiis in usu sunt, magnam Ulyssipone ea sunt copia et [illegible] ac distinguant. Has vero Patacas de Saragoça ferant secum Goam, quae ibi sunt admodum in pretio. Goam ubi venerint, consulant negotiis Procuratorem, quibus iisdem commutandae sint dictae Patachae, ut nihil pereat in China, et eo [illegible] curent sibi in illa Goa remitti, seu usque Macao ferant. Macai consignent ea omnia P. Procuratori Chinensi, qui in Collegio resideat, simulque per litteras commonefaciant R. P. Provinciale Chinensem tam de suo adventu, quam de quantitate et qualitate rerum P. Procuratori consignatarum, et allatarum in subsidium PP.um Missionariorum, atque ab illo expectent ordinationem ingrediendi missionem vastissimi Imperii Chinensis, et in suis sanctis sacrificiis pro me Deum orent. Romae 18. 7bris Anno 1671.

RR. VV.

Indignissimus servus in Christo

Prosper Intorcetta.

BIBLIOTECA PÚBLICA E ARQUIVO DISTRITAL ÉVORA

Instructio pro PP.bus Missionarijs Sinensibus
ex Lusitania
P. Iosephi Antonellae
Procuratori Chinae.
Data Romae 18. 7bris 1671.